

Concessio est, quâ objectionem adversarii concedimus.

Solutio per
concessio-
nem.

Estq; vel pura, vel conditionalis.

Concessio pura est, cum quod objectum est, confirmat nostram thesin, vel saltem non infirmat, ideoq; simpliciter conceditur.

Dicitur etiam *concessio simplex*, item *absoluta*. Concedere igitur, additâ ratione, quod nos non feriat, est solvere antithesin: exempli gratiâ, thesis metaphysica est, omne ens bonum est. Si quis contrâ sic disputet: Omne ens bonum est. Diabolus est ens. Diabolus igitur bonus est. Respondeatur simplici concessione totius argumenti. Quod si adversarius contendat, conclusionem esse absurdam, detur ipsi distinctio inter bonitatem naturalem & moralem.

Concessio conditionalis est, quando certo sensu & limitatione aliquid concedimus.

Dicitur etiam *concessio mixta & non-simplex*. item *responsio per limitationem, seu distinctionem*. e.g. Wigandus in Catecheticis explicationibus adversus orthodoxam doctrinam de humanâ Christi naturâ disputat hoc modo: Quidquid sedet ad dextram Dei Patris, habet omnipotentiam. Humana Christi natura sedet ad dextram Dei Patris. E. humana Christi natura habet omnipotentiam. Resp. Concedo totum rectè intellectum. Humana Christi natura habet omnipotentiam, non transfusam in se vel subjectivè sibi inhaerentem, sed personaliter unitam. Sicut enim naturam divinam sibi habet personaliter unitâ, ita & omnipotentiam.

Refutatio est, quâ objectionis vitiû ostenditur.

Estq; vel directa, vel indirecta. *Illam etiam dicitur primariam, hæc secundariam.*

Refutatio directa est aperta patefactio fallaciæ.

Estque simplex, vel mixta.

Refutatio simplex est, quâ patefit vitium vel in formâ, vel in materiâ.

Detectio vi-
tium in formâ
syllogismi.

Refutatio argumenti propter vitium in formâ est,